

Dico 1. Victor in ludo prohibito potest lucrum ex eo acquisitum retinere: est communior & probabilior. Prob. Victor in ludo prohibito non tenetur restituere Jure naturæ; quia ludus secundum se est justus & licitus servatis debitis conditionibus, atque sufficiens ad transferendum dominium: non Jure positivo; quia leges sive civiles, sive Ecclesiasticæ, ludum prohibentes, nullatenus illum, aut dominii translationem irritant, neque ludentem inhabilem reddunt ad transferendum, aut recipiendum istius lucri dominium, ut patet insipienti textus citatos Juris communis: nihil plus fuerunt leges Regni Galliæ apud Pontas cas. 3. (*Ibid. o.*) Id autem, quod acquiritur ex illicito, non est illicitum, nec injustum, nisi ipsa acquisitio sit injusta.

Dices. S. Th. in 4. dist. 15. q. 2. a. 4. Quæstione ultima, dicit: *Secundum Jus positum omne tale lucrum* (ex ludo prohibito) est interdictum: quod repetit hic q. 32. art. 7. ad 2. ergo. R. S. Thomam hoc dicere sub restrictione, nisi, inquit, *Jus positum per contrariam consuetudinem esset alicubi abrogatum*: & hic: nisi forte consuetudo contraria prævaleat. Loquitur ergo S. Doctor de legibus, quæ suo tempore erant, & vel translationem dominii per ludum impediebant, vel saltem sic intelligebantur: nunc autem leges hujusmodi nullæ sunt, saltem in Jure communi. Quod posset objici ex L. *Non dubium C. De legibus* require Diss. 1. de Contract. in genere a. 10.

Dico 2. Victus in ludo prohibito, stante Jure communi, non tenetur solvere, sive presenti, sive absentis pecunia luserit. Prob. Quia, licet contractus ludi sit utroque Jure naturali & positivo validus, & consequenter victus obligetur naturaliter solvere; artamen Jure positivo ipsi datur facultas excipiendi, seu repetendi in judicio solummodo ut patet ex legibus citatis; atque juxta L. *Inventus* §6. ff. de Reg. Juris: *Cui damnus actionem, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit*: inutilis quippe foret circuitus, ut quis solvat, & postea solummodo repetat: ergo. Confer, quæ dixi Diss. 1. cit. a. 5. §. *Circæ pupillos*. Legibus Galliæ debitum ex ludo declaratur absolute nullum, & absque ulla obligatione, etiam naturali. Edict. Lud. XIII. an. 1611. & 1629. Si tamem victus se juramento obligasset ad solvendum, teneretur vi juramenti solvere; qui hoc juramentum posset absque peccato impleri.

Dixi: *Stante Jure communi*; quia, si alicubi leges, quæ concedunt victo naturaliter obligato actionem excipiendi, sint abrogatæ, ut videntur abrogatæ in iis locis, in quibus forum externum nullam amplius actio-

nem ex ludo, sive pro, sive contra, admittit; non video, quomodo victus possit excipere, & se ab obligatione naturali solvendi eximere.

§. V. De Sponsione.

Sponsio est: *Contractus, quo duo vel plures, de veritate alicujus rei contententes, ponunt præmium pro eo, qui veritatem fuerit assecutus*. Ad Justitiam hujus contractus eadem ferme requiruntur conditiones, ac pro ludo. Difficultas est dumtaxat, an, si unus sit certus de rei veritate, possit spondere, & præmium sponsonis retinere, modo monet alterum de sua certitudine? R. Quod si alter non credat, sed errore deceptus pergat velle spondere, non possit lucrum retinere; quia videtur hic error circa substantiam rei; in hoc enim contractu, ut dixi de ludo, emittitur spes lucrandi periculo periculi; hic autem nulla est spes lucrandi ex parte decepti, sed certum damnum; sicut ergo lucrum certo gemmam esse falsam, non posses vendere pro sciens certo gemmam esse falsam, sed non credenti, ita si gemma alteri, equidem merito, sed non credenti, ita similiter in nostro casu. Excipe tamem, nisi deceptus liberaliter condonet certitudinem, quæcumque sit; sicut, si emens vitrum pro gemma, consentiret emere quidquid sit.

Sed quid, si putans te certum deprehendas effectu secuto te non fuisse certum? R. Peccasti spondendo; sed non teneris restituere; quia a parte rei fuit æqualitas, & non tenetur restituere, quæ certo credis esse vitrum, peccas; sed si postea deprehendas esse veram gemmam, nihil teneris restituere.

Petes insuper, an, qui spondit se victurum alterum cursu, si nolit currere, teneatur solvere præmium sponsonis? Videtur, quod sic; quia censetur se victurum agnoscere, & cedere jure suo.

Petes denique, utrum sponsio de re mala, aut ad malum inductiva, sit licita & valida? v. gr. spondes te furaturum, aut alterum non furaturum, quasi excitando ergo. Spondes te victurum sociem in potu, te & ipsum exponens periculo nimium potandi. R. Hujusmodi sponsonem esse illicitam, & hoc sensu invalidam, quod spondentes teneantur ab opere sponso; ad illicitum enim nulla datur obligatio: hoc tamem posito, teneretur vitrus pretium solvere; quia contractus sub conditione operis turpis purificata conditione obligat, ut late probavimus Diss. 1. cit. art. 8. Require.

TRACTATUS

DE RELIGIONE, ET VITIIS OPPOSITIS.

Div. Thom. a Quæst. 79. ad Quæst. 100.

POSTQUAM S. Th. egit de Justitia, partibus ejus subjectivis, seu essentialibus, & vitiis oppositis, agit q. 79. de partibus ejus integralibus. Partes integrales alicujus virtutis dicuntur (Q. 79. a. 1. o.) per similitudinem partium integralium corporis; suntque ideo actus, seu functiones, sine quibus non est perfectus usus talis virtutis. In Justitia autem sunt declinare a malo & facere bonum; intelligendo nempe bonum sub ratione debiti ex speciali Justitia, & malum oppositum nempe nocivum proximo.

Deinde S. Th. q. 80. art. unico assignat partes potentiales Justitiæ, quæ sunt Religio, Pietas, Observantia, Veritas, seu Veracitas, Gratia, seu Gratiitudo, Vindicatio, Liberalitas, & Amicitia, seu Affabilitas. Quia partes potentiales Justitiæ, (Q. 80. art. unico.) sive quod idem est, virtutes ei finitimæ & annexæ dicuntur, quæ cum illa in aliquo conveniunt, & in alio ab ejus perfectione deficiunt. Porro ratio Justitiæ in hoc consistit, quod alteri reddatur debitum ad æqualitatem. Assignatæ autem virtutes conveniunt cum Justitia in hoc, quod sint ad alterum; sed in hoc deficiunt a perfecta ratione Justitiæ, quod vel non reddant perfectæ

æquale, ut religio erga Deum, pietas erga parentes, observantia erga homines aliqua virtutis excellentiæ præditos (virtus enim secundum æquale præmium ab homine compensari non potest); vel enim deficiunt a perfecta ratione Justitiæ, quod non attendant strictum debitum ex lege Justitiæ, sed morale dumtaxat, seu quod debetur tantum ex honestate virtutis, sive interim sit omnino necessarium ad honestatem morum, ut veritas, quæ quis se talem alteri exhibet in verbis, qualis est; gratitudo, quæ quis alterum compensat in bonis, quæ fecit; & vindicatio in malis: sive sit tantum debitum, in quantum confert ad majorem honestatem morum, ut liberalitas, & amicitia, seu affabilitas. Intellige supra vindicationem, (*Ib. ad 1.*) non quæ fit per Sententiam Judicis; hæc enim pertinet ad Justitiam commutativam; sed quam quis motu proprio facit, non tamem contra legem, vel quam quis requirit a Judice.

Postea per varias quæstiones agit S. Doctor de singulis in particulari. Et 1. de Religione, circa quæm tria consideranda occurrunt. 1. de ipsa Religione secundum se. 2. De ejus actibus. 3. De vitiis oppositis: Unde

DE RELIGIONE SECUNDUM SE.

D. Thom. Quæst. 81.

ARTICULUS I.

Quid sit Religio?

Dico 1. (Q. 81. a. 1. o.) Religio dicitur vel a relegendo, & sæpe resolvendo ea, quæ sunt divini cultus, secundum Isidorum ex Cicerone; vel a relegendo Deum, quem negligens amittimus, juxta Aug. 10. de Civit. c. 4. vel tandem a religendo, ut ait idem Aug. de vera Relig. prop. finem; quod per eam præceptis, & maxime votis Deo alligetur, & adstringatur. Quovis autem modo dicatur (*Ibid.*) patet, quod proprie importet ordinem ad Deum; ipse est enim, cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, quem etiam frequenter relegere, & revolvere corde debemus, ut nostrum ultimum finem, & quem tandem & credendo, & fidem protestando recuperare debemus, dum eum negligenter peccando amittimus. Desinitur itaque Religio: *Virtus, per quam homines Deo, tamquam rerum omnium principio, debitum cultum exhibent.* (*Ib. ad 5.*) Quapropter omnes Christiani, qui colunt Deum, possunt dici Religiosi. Specialiter tamen Religiosi dicuntur, qui votis solemnibus adstricti totam vitam suam divino cultui dedicant, a mundanis negotiis se abstrahentes.

Dico 2. Religio est vera virtus. (*Art. 2. o.*) Quia virtus est, quæ bonum facit habentem, & ejus opus bonum reddit; atque exhibere Deo honorem, & cultum, qui ei debetur ut supremo creationis, & gubernationis principio, & propter excellentiam singularem Majestatis ejus, quod est Religio proprium, est bonum & optimum: ergo.

Dico 3. (*Art. 3. o.*) Religio est unica virtus. Quia obiectum ejus formale est unum, nempe exhibere cultum uni Deo secundum unam rationem primi principii creationis, & gubernationis rerum.

Dico 4. (*Art. 4. o.*) Religio est virtus specialis ab aliis distincta. Quia virtutes sortiuntur speciem ab objectis; atque obiectum formale Religionis est distinctum ab objectis aliarum virtutum, scilicet cultum Deo exhibere propter singularem ejus excellentiam; in quantum omnia transcendit secundum omnimodum excessum.

Dices: Charitas, quæ diligitur Deus, non est virtus distincta a charitate, quæ diligitur proximus: ergo Religio, quæ honoratur Deus, non est virtus distincta ab observantia, vel dulia, vel pietate, quibus honoratur proximus. R. N. Consequ. (*Ib. ad 3.*) Disparitas est, quod obiectum amoris sit bonum, obiectum honoris, & reverentiae aliquid excellens. Bonitas Dei autem communicatur creature sic, ut ratio formalis diligendi creaturam sit ipsa divina bonitas, & ideo charitas, quæ diligitur Deus, non est virtus distincta a charitate, quæ diligitur proximus. At verò excellentia bonitatis divinæ non communicatur, quia excellentia est id, quod unus alterum excedit: implicat autem in terminis, ut id alteri communicetur, quia non esset amplius id, quod alterum excedit. Unde religio, quæ honoratur Deus propter suam excellentiam, est distincta a virtutibus, quibus honoratur proximus.

Nota. (*In 3. d. 9. a. 1. quæstione. 2. Hic a. 1. ad 1.*) Licet religio sit virtus specialis, potest tamen lato sensu dici generalis; tum quia utitur actibus aliarum virtutum, quos imperat in ordine ad suum obiectum: quo sensu dicitur Jacobi 1. quod visitare pupillos, & viduas sit religio mundana; quia tales actus, licet sint eliciti a misericordia, imperantur tamen a religione, & dirigantur ab ea ad divinam reverentiam; tum quia ad actum religionis exiguntur multæ aliæ virtutes, ut fides, quæ cognoscitur divina excellentia; charitas, quæ ei bene afficitur.

ARTICULUS II.

Utrum Religio sit virtus Theologica, an Moralis?

Dico: Religio non est virtus Theologica, sed moralis. (*Art. 5. o.*) Prob. (*Ibid.*) Virtutes Theologicæ habent Deum pro immediato suo obiecto: sic fide Deum, & Deo credimus, charitate ipsum diligimus, spe ipsum desideramus; atque Deus non est obiectum immediatum Religionis, sed si Theol. Bill. art. Secunda Secundæ.

nis cui dumtaxat: ergo Religio non est virtus Theologica sed moralis, cujus obiectum est circa ea, quæ sunt ad finem. Prob. minor. Obiectum immediatum Religionis non est ipse Deus, sed cultus Deo debitus, quem ipsi per actus suos, puta sacrificiorum oblationes, exhibet Religio: Religio enim, ut supra definimus, est quæ Deo debitum cultum exhibet: ergo. Confirmatur. Sic se habet Religio ad Deum, sicut justitia, cujus est pars, ad proximum; atque obiectum proprium & immediatum justitiæ non est ipse proximus, sed res ipsi debita per actus nostros reddenda: ergo similiter obiectum immediatum Religionis non est ipse Deus, sed cultus ei debitus per actus Religionis exhibendus: ergo.

Explicatur magis hæc ratio, & tota difficultas. Obiectum formale quod justitiæ est æqualitas perfecta constituenda inter rem, seu actionem strictè debitam ex una parte, & ex altera jus activum alterius ad illam; & ideo definitur justitia virtus reddens unicuique, quod suum est. Obiectum formale sub quo, seu motivum est honestas dictæ æqualitatis, Materiale duplex, remotum, quod est res debita v. gr. pecunia; & proximum, quod est actio, qua solvitur, seu æqualitas statuitur, quia super rem remotè, super actionem proximè cadit ista honestas. Obiectum verò cui, seu potius finis cui, est ipsa persona, cui redditur æquale debitum, non quidem nudè, & naturaliter spectata, sed formaliter ut informata jure activo, vi cujus fundat in altero obligationem, & debitum legale, seu strictum. Pariformiter obiectum Religionis formale quod est æqualitas illa saltem imperfecta, quam homo inter se & Deum ponit per cultum, seu per actiones, quibus eum colit, & reveretur ut primum principium, & supremum dominum. Obiectum formale sub quo est honestas dictæ æqualitatis. Obiectum materiale sunt actiones tum internæ, tum externæ, quibus Deus colitur, seu dicta æqualitas imperfecta ponitur. Obiectum tandem cui ipse Deus, ut fundans ratione suæ excellentiæ hæc obligationem in homine. Quapropter, dum legis in probatione nostra, & passim apud Auctores, obiectum formale quod Religionis esse cultum Deo debitum, intellige cultum, non ut est actio, sed ut effectus, qui nihil est aliud, quam dicta æqualitas, de qua modo. Et ex his facilè solves argumenta. Igitur

Obj. 1. Religione Deum colimus, sicut charitate eum diligimus: ergo Religio immediate attingit Deum pro obiecto. R. N. Ant. Item dilectione charitatis Deum immediate attingimus; at actione Religionis non Deum, sed ipsum cultum, seu æqualitatem dictam immediate attingimus, & ipso mediante Deum ut finem cui. Sit paritas in obiecto Justitiæ.

Inst. Excellentia divina est obiectum Religionis, sicut bonitas divina est obiectum charitatis: ergo. Prob. Ant. Sicut Deum propter suam bonitatem diligimus, ita propter suam excellentiam colimus: ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Ant. Ly propter in utroque membro idem significante. N. Diversa significante, C. Dum dicitur, Deum amari propter suam bonitatem, sensus est divinam bonitatem esse obiectum quod amatur, & rationem formalem propter quam ametur. At, dum dicimus, Deum coli propter suam excellentiam, sensus est divinam excellentiam esse fundamentum, & causam motivam, quæ, nec sub qua attingitur a Religione. Ratio enim formalis quæ, ut diximus, est ipsa æqualitas; ratio sub qua ipsa honestas. Sicut, cum dico: solvo centum florenos Petro propter jus, quod habet ad illos, ly propter non denotat rationem, quæ aut sub qua justitiæ, sed fundamentum meæ obligationis.

Repones: Oratio qua a Deo ipsum petimus, item & laus divina attingunt Deum immediate; atque tamen sunt actus Religionis: ergo. R. D. Majorem: Oratio, & laus divina attingunt Deum immediate, præcisè ut sunt actus Religionis, N. Majorem: ut sunt signa, C. Oratio igitur & laus divina, præcisè ut sunt actus Religionis, non attingunt Deum immediate pro obiecto, sed cultum, qui iis actibus Deo exhibetur. (Q. 83. a. 3. o.) Oratio enim, ut est actus Religionis, nihil aliud est, quam subjectio mentis ad Deum, profitentis se eo indigere ut auctore honorum. Quod autem desideramus obtinere, non est obiectum orationis religiosæ, sed desiderii, quo movemur ad orandum.

Ooo

Idem

Idem die proportionaliter de laude divina. Si tamén actus in ratione signi attingunt immediatè Deum ut signarum; sunt enim signa, & testimonia divinæ excellentiæ, quam sic honoramus, & nostræ subjectionis, qua nos ei submittimus.

Obj. S. Aug. in Enchyr. c. 3. dicit, quòd Deus colitur spe, & charitate; atqui colere Deum pertinet ad Religionem: ergo. R. D. Ant. (*Hic a. 5. ad 1.*) Deus colitur fide, & imperativè, C. elicitive, N. Dicit itaque S. Aug. Deum coli fide, spe, & charitate, non quòd Religio eliciat actus fidei, spei, & charitatis, sed quia vel eos imperat, vel ab eis imperatur. Cùm enim virtutes Theologicæ versentur circa finem, ipsi per se convenit per imperium movere virtutes operantes ea, quæ ordinantur ad illum finem, qualis est Religio. Per accidens autem ipsa Religio potest imperare actus virtutum Theologicarum, quatenus idonei sunt ad suum finem, nempe colendum Deum. Sic v. gr. Religio actum fidei imperando colit Deum; & summum ei defert honorem declarando eum esse primam veritatem.

Si dicas, esse proprium superioris imperare. R. 1. Id esse verum de imperio strictè sumpto, pro actu intellectus, seu rationis; non verò de imperio latè sumpto pro eo, quod est movere quocumque modo ad actum alterius virtutis, vel ejus implorare auxilium; sic enim subditi imperant suis heris; & sic quidam intelligunt imperium virtutis inferioris in superioribus. R. 2. Virtutem, quæ secundum se est alii inferior, poste per accidens, & secundum quid fieri eis superior ratione alicujus circumstantiæ, quam eis superaddit, sicut earum actus materialitèr sumptos ordinare secundum hanc formalitatem superadditam ad suum finem, & consequenter eo imperare: v. gr. actus charitatis est secundum se superior omnibus virtutibus moralibus, nec ad nobiliorem finem potest imperari, seu ordinari cùm supremo modo attingat ultimum finem; per accidens tamèn, puta, si fiat ex voto, subditur secundum hanc circumstantiam Religioni, & per eam ad suum finem dirigitur, ita quòd omittens peccet contra Religionem; & licet id possit aliquantulò competere omnibus virtutibus, tribuitur tamèn specialitèr Religioni, & Justitiæ legali propter amplitudinem, & elevationem sui objecti.

Obj. 3. Religio non est virtus moralis, nec intellectualis: ergo. Theologica. Prob. Ant. Non est intellectualis, quia ejus perfectio non attenditur secundum considerationem veri; non moralis, cujus proprium est tenere medium inter superfluum, & diminutum; nemo enim potest superflue colere Deum, cùm sit major omni laude: ergo. R. D. ultimum assumptum; (*Ibid. ad 3.*) nemo potest colere Deum superflue secundum circumstantiam quanti, C. Secundum alias circumstantias, puta, quia cultus divinus exhibetur, cui non debet, ut in Idololatria; vel quando, & quomodo non debet, ut in variis aliis superstitionibus, N.

Obj. 4. Non est necesse ad rationem virtutis Theologicæ, quòd habeat Deum pro immediato objecto quod: ergo, licet Religio, &c. Prob. Ant. Spes v. gr. non respicit immediatè pro objecto quod Deum in se, sed assurancementum ejus, quæ est quid creatum: ergo. R. N. Ant. Ad probat. N. iterum Ant. & dico, quòd assecutio se habeat ad objectum spei per modum conditionis tantum.

Inst. De ratione objecti spei est, quòd sit arduum, & futurum; atqui Deus in se non est arduus, nec futurus; sed ejus assecutio est ardua, & futura: ergo. R. D. Maj. De ratione objecti spei est quòd sit arduum, & futurum, ita ut tò arduum, & futurum necessariò se teneat ex parte objecti sperati, N. Ita ut sufficiat, quòd se teneat ex parte subjecti sperantis, C. Aliis nemo potest sperare aliquid existens in rerum natura.

ARTICULUS III.

Utrum Religio præmineat inter virtutes morales?

Dico, Religio præmineat inter omnes virtutes morales. (*Art. 6. o.*) Prob. (*Ibid.*) Inter virtutes morales illa præmineat, quæ propinquius accedit ad Deum; atqui talis est Religio, si quidem operetur ea, quæ directè, & immediatè ordinantur in honorem divinum: ergo. Prob. Maj. Ea, quæ sunt ad finem, sortiuntur bonitatem ex ordine in finem, & idèò, quanto sunt propinquiora fini, tantò sunt meliora; atqui virtutes morales versantur circa ea, quæ ordinantur in Deum sicut in finem: ergo inter virtutes, &c. Nec obstat, quòd S. Doctor supra q. 52. a. 12. doceat, justitiam legalem esse nobiliorem inter virtutes morales; & infra q. 161. a. 5. idem dicat de humilitate: etenim 1. loco loquitur de justitia legali comparative ad virtutes morales, quæ respiciunt bonum humanum, & naturale, non verò de illis, quæ respiciunt bonum divinum, & supernaturale, qualis est Religio, quæ res-

picit cultum divinum; 2. loco loquitur de humilitate comparative ad illas virtutes, quæ moderandis passionibus, non præciè regulandis operationibus, inserviant.

Obj. 1. Religio est pars justitiæ; sed pars est ignobilior toto: ergo. R. Minorè esse veram de parte propriè dicta, secus de parte potentiali, quæ dicitur pars lato sensu, & qualis est Religio respectu justitiæ. Illa autem præcellit huic & ratione objecti cui, quod est Deus, & ratione debiti, quod est strictius: (*Ibid. ad 1.*) Et licet deficiat ab æqualitate, indè tamèn non minuitur ejus laus, quia laus virtutis in voluntate consistit, non in potestate.

Inferes ex solutione data: ergo actus Religionis est minùs laudabilis, quam actus justitiæ. Prob. illatio. Est magis debitus ex dictis; atqui necessitas tollit laudem & gloriam, quanto enim aliquid fit ex majori necessitate, tantò minùs est laudabile: ergo. R. N. Illationem: (*Ibid.*) ad Probat. D. Min. necessitas tollit laudem supererogationis, C. tollit merita virtutis, si adsit voluntas, N.

Obj. 2. Tanto donum, seu opus est laudabilius, quanto magis indigentibus exhibetur; atqui Deus non indiget aliquid, quod ei a nobis exhibetur: ergo virtutes, quæ sunt ad homines indigentes, ut misericordia, præstant Religioni. R. D. Majorè: (*Ibid. ad 2.*) In his, quæ exhibentur aliis propter eorum utilitatem, C. quia tunc eò est utilius, quò fit magis indigenti; secus, N. Deo autem non exhibetur aliquid propter ejus utilitatem, sed propter nostram.

Obj. 3. 1. Reg. 15. Dicitur: *Melior est obedientia, quam victimæ*; atqui offerre victimas pertinet ad Religionem: ergo. R. (*Infr. q. 104. art. 3. ad 1.*) Sermonem ibi esse de actu exteriorè occisionis victimæ, quæ non fit ex vera devotione, & obedientia: imò obedientia, quæ illic præponitur victimis, non est obedientia nuda, sed quæ procedit ex reverentia Dei, & Religione.

Obj. 4. Sicut Religio respicit honorem divinum conservandum, sic penitentia respicit eundem honorem læsum restaurandum; sed æquale est, imò majus, restaurare honorem læsum, quam eundem permanentem conservare: ergo. R. D. Majorè, tò sicut dicente aliqualem paritatem, C. omnimodam, N. In hoc ergo disparitas est, quòd Religio formalitèr, & per se exhibet Deo honorem; penitentia verò restituit honorem divinum læsum, non per se formalitèr, & ratione sui, sed ratione charitatis adjunctæ, & satisfactionis Christi: per se autem id facit tantum dispositivè, & inchoativè.

ARTICULUS IV.

Utrum Religio habeat actus exteriores?

Dico: (*Art. 7. o.*) Religio, præter actus interiores, quos habet ut primarios, habet etiam exteriores ut secundarios, & ad interiores ordinatos. Prob. 1. (*Ibid.*) In divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis mens hominis exciteretur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur: ergo Religio præter, &c. Prob. ant. Actu Religionis reverentiam, & honorem Deo exhibemus, non propter ejus utilitatem, ut jam dictum est; est enim ex se ipso plenus gloria, cui nihil a creatura adjici potest, nisi denominatio extrinseca glorificati, & honorati, sed propter nostram utilitatem, quatenus per hoc quòd Deum reveremur, mens nostra ei subjicitur, in quo ejus perfectio consistit. Quælibet enim res habens superiorem, perficitur per hoc, quòd ei subdatur, sicut corpus per hoc, quòd subjicitur animæ, & per eam vivificetur, àer per hoc, quòd illuminetur a sole; atqui mens humana indiget in hac vita ad hoc, quòd conjungatur Deo, sensibilibus manuductione; quia *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Rom. 1. ergo in divino cultu, &c. Confirmatur. Homo constat corpore & anima: ergo necesse est, ut utraque parte Deo serviat, sicut canere possit cum Propheta: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Prob. 2. Ex praxi omnium sæculorum, fundata in Scripturis. 1. Ex tot caeremoniis legalibus, in veteri Testamento præceptis. 2. Ex variis locis novi Testamenti, Act. 2. Paulus *Positis genibus suis orabat.* Similiter Stephanus Act. 7. & Petrus Act. 9. Imò ipse Christus Luc. 22. *Positis genibus orabat:* & ex Matth. 26. liquet ipsum adhibuisse orationem vocalem, dum dicitur: *Hymno dicto exierunt in montem.* Et alibi. Hic mirare, secretarios, qui, Manichæorum exempla secuti, cultum nostrum exteriorè videtur abominari, dum ipsi sine aliquo ritu exteriori Religionem suam non exercent. Etenim pectus tundunt, oculos in Cælum erigunt, Psalmos cantant, variasque alias caeremonias adhibent, & tamèn templa

nos-

tunc enim ab eadem virtute eliciuntur, ac Internus, median- te quo producuntur.

Ad rationem oppositam R. Actum exteriorè Religionis considerandum esse dupliciter: activè, prout est actio, seu activa exhibitio cultus, & passivè, prout est ipse cultus exhibitus: sicut furari v. gr. potest considerari activè, prout est activa ablatio rei alienæ; & passivè, prout est res aliena ablata. 1. modo consideratus cultus exterior est actus elicitus a Religione, 2. modo est materia circa quam & objectum Religionis.

Petes 2. (*Art. 8. o.*) Utrum Religio differat a sanctitate?

Non est quæstio de sanctitate, quæ habetur per infusionem gratiæ justificantis, sed de sanctitate, prout est virtus. (*Ibid.*) Hoc nomen duo importat, munditiam & firmitatem. Undè sanctus græcè *Agios* quasi sine terra, & latine sanctus quasi sanctus, & lege firmatus; & utrumque scilicet munditia & firmitas requiritur ad sanctitatem; munditia, ut mens ab inferioribus, quibus coinquinatur, abstracta, applicetur Deo; firmitas, ut Deo ultimo fini, primo principio immobilitèr adherat. (*Ibid.*) Est enim sanctitas *Virtus, per quam mens hominis se ipsam & suos actus applicat Deo.*

Ad Quæstionem R. (*Ib.*) Religionem non differre a sanctitate, nisi ratione. Quia Religio dicitur secundum quòd exhibet Deo debitum famularum in his, quæ pertinent ad cultum Divinum, sicut in sacrificiis & oblationibus, & aliis hujusmodi: sanctitas autem dicitur, secundum quòd homo non solum hæc, sed & aliorum virtutum opera imperat & refert ad Deum; vel secundum quòd homo se disponit per bona quadam opera ad cultum Divinum: quæ duo, non re, sed solum ratione differunt.

DISSERTATIO II.
DE ACTIBUS INTERIORIBUS RELIGIONIS
QUI SUNT
DEVOTIO, ET ORATIO.
Div. Thom. QQ. 82. & 83.

ARTICULUS I.

De Devotione.

Dico 1. Devotio dicitur à devovendo. (*Q. 82. art. 1. o.*) Undè devoti dicuntur, qui se ipsos quodam modo Deo devoverunt, ut ei se totalitèr subdant. Propter quòd & olim apud Gentiles devoti dicebantur, qui se ipsos Idolis devoverant in mortem pro salute sui exercitus, sicut de duobus Decis Titus Livius narrat l. 8. decad. 1. Non itaque sumitur hic Devotio pro fervore delectante, qui sentitur interdum in oratione, de quo S. Doct. art. 4. (*Ib.*) sed est *Quædam actualis voluntas promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famularum, sive faciendi ea, quæ pertinent ad cultum Divinum.* Undè patet, quòd non sit modus, aut qualitas, sed specialis actus voluntatis. Illa enim promptitudo, quæ est modus, importatur tantum de connotato in actu devotionis.

Dico 2. Devotio est actus Religionis (*Art. 2. o.*) Quia ad eandem virtutem pertinet facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum; est enim utriusque actus idem formale objectum; atqui operari, quæ pertinent ad divinum cultum, pertinet propriè ad Religionem: ergo etiam ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad hujusmodi exequenda, quod est esse devotum.

Dices: per Religionem homo ordinatur ad solum Deum; atqui devotio habetur etiam ad homines, dicuntur enim aliqui esse devoti aliquibus Sanctis; & etiam subditi dicuntur esse devoti dominis suis, sicut Leo Papa dicit, quòd Judæi erant devoti Romanis Legibus: ergo. R. ad minorem: (*Ib. ad 3. o.*) Quòd devotio, quæ habetur ad Sanctos mortuos vel vivos, si strictè sumatur, prout est actus Religionis, non terminetur ad ipsos, sed transeat ad Deum, in quantum scilicet in Ministris Dei, in quibus specialitèr relucet ejus magnitudo, Deum ipsum veneramur. Devotio au-

Theol. Billuani. Secunda Secundæ.

tum, quam subditi dicuntur habere ad dominos temporales, est alterius rationis, nempe politica & civilis; sicut & famularum, quem ipsis exhibent.

Dico 3. (*Art. 3. o.*) Causa extrinseca & principalis devotionis est ipse Deus, qui auxilio gratiæ suæ voluntatem promptam illi serviendi inspirat. Causa intrinseca est contemplatio, seu meditatio partim divinæ bonitatis & beneficiorum ejus, partim nostræ infirmitatis; omnis enim actus voluntatis ex aliqua consideratione provenit. Prior consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima causa devotionis. Altera excludit presumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subjiciat, dum suæ virtutis innititur.

Porro, (*Ib. ad 2.*) licet ea, quæ sunt Divinitatis, sint secundum se maxime excitantia dilectionem & per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus; attamen ex debilitate mentis humanæ fit, quòd, sicut indiget manuductione ad cognitionem divinarum, ita & ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis, nota, inter quæ præcipuum est humanitas Christi; & idèò, quæ pertinent ad humanitatem Christi, per modum cujusdam manuductionis maxime devotionem excitant. Id sedulo advertant, inquit hic Sylvius, conscientiarum moderatores, seu patres spirituales, maxime in dirigendo devoto femineo sexu, quem idèò assuescitur operum Christi meditationi magis convenit, quam subditi Divinitatis contemplationi.

Dico 4. Effectus primarius & per se devotionis est lætitia. Secundarius & per accidens tristitia. (*Art. 4. o.*) Ratio est; quia devotio principalitèr procedit ex consideratione divinæ bonitatis & beneficiorum ejus, ut dictum est: ex ista autem consideratione per se quiddam sequitur delectatio, juxta illud Ps. 76. *Memor sui Dei, & delectatus sum:* per accidens tristitia, quòd nimirum adhuc peregrinemur a Domino, & tantis ejus beneficiis sumus ingrati. Secundario verò devotio procedit ex consideratione nostræ infirmitatis, quæ nata est per se causare

Ooo 2

tri-